



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 72. Burgundus a quodam nomine Campe-Bassio proditus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

ditiones cum pleno dominio obtinere pos-
set, ac facile ope Gallorum, quibuscum
clandestina adhucdum communicabat
consilia, universalem in Francia seditionem
concitare valeret.

§. LXXI.

*Connestabilis, jussu Burgundiæ
Ducis, captus.*

Cum autem Galliarum Rex Burgundiæ
Ducem misso ad eum Buchagii Dy-
nasta urgeret, ut datam fidem exsolvere
haud ultra cunctaretur, Dux huic legato
promisit, se die vigesima prima Novem-
bris Connestabilem Ludovici XI. mani-
bus traditurum, deditque hujus rei ne-
gotium Hugonecto Cancellario suo, nec-
non Imbercurtio: Idem tamen manda-
tum protinus revocare intenderat, simul-
ac Nancejum occupasset; spe enim certa
tenebatur, hanc urbem die vigesima No-
vembris deditione facta in ejus potesta-
tem redigendam.

§. LXXII.

*Burgundus a quodam nomine Campo-
Bassio proditus.*

Verum Ducis consilium fefellit eventus;
& quidem ob cujusdam Neapolitani,
cui nomen Campo-Bassius, insignem per-
fidiam.

Sæcul. XV. fidiam. Hic enim primum factioni An-
 A.C. 1475. degavenfi addictus, demum Burgundi

Ducis partibus sese adjunxit, ab eoque
 quadraginta aureorum millibus instructus,
 in Italiam missus est, ut quadringentos
 Lancearios conscriberet. Lugdunum
 veniens, consuetudinem, familiaritatem-
 que junxit cum quodam Medico nomine
 Simone, natione Italo, quem Ludovi-
 cus XI. eo miserat, ut Sabaudia Ducis-
 sissæ tum viduæ clandestina exploraret
 consilia. Huic Campo-Bassius exponit,
 si ei Rex viginti aureorum millia nume-
 ratae pecuniæ dare vellet, se Du-
 cem Burgundiæ aut vivum Regi tradi-
 turum, aut manu sua occisurum. Cum
 vero Simon parricidæ proposito operam
 suam navare detrectaret, Campo-Bassius
 Duprajum seu de Sancto Prato Regis
 in Pedemontio Legatum ad idem faci-
 nus sollicitat, sed nec illum ad tantam
 perfidiam Simone promptiorem experie-
 batur, unde quadringentis lanceariis in
 Italia collectis, atque in Belgium dedu-
 ctis, iniquum suum consilium Regi ape-
 ruit, cujusdam probatæ fidei hominis
 ministerio usus.

Dupray.

§. LXXIII.

*Connestabilis Regi traditus, ac
 carceri inclusus.*

Ad tantam hujus Neapolitani nequi-
 tiam